



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 92. Administratrix armorum suppetias a Galliarum Rege postulans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.

vi cujus Perthum urbem deducto inde præsidio liberam relinqueret Administratrix: cum vero hæc propositio Administratrici nequiquam probaretur, Protestantes Perthum recta contendunt, atque oppidum interjectis paucis diebus occupant: inde vero Sconam, Sterlinum, Limnuchum, seu Lithquum copias suas ducunt, ibidemque Mendicantium cœnobiiis solo æquatis, cultuque divino mox immutato passim novæ Reformationis Ministros constituunt; quapropter Administratrix unacum Ofellio, qui Gallorum copiis præerat, Dumbarum recedere cogebatur.

§. XCII.

*Administratrix armorum suppetias a Galliarum Rege postulans.*

**R**ebus ita constitutis Administratrix Galliarum Regem convenerat, eidem clandestina Jacobi Stuarti consilia detegens; hic enim, quamvis nonnisi spurcius Jacobi V. Filius esset, regni tamen coronam Delphino, ac Reginæ ejus Conjugi eripere, eamque sibi vindicare unice intentus erat. Hujus Principis audaciam Guisii coram Rege pluribus exaggerabant, eidem exponentes, quod Stuartus nonnisi Religionis obtentu fretus hoc ipso suam usurpationem honestare, ac interea ad tuenda ambitiosæ  
indo-

Sæc. XVI.  
A.C. 1559.

indolis suæ consilia validam factionem sibi conciliare quæreret. Verum Henricus II. priusquam hac in re quicquam statueret, consentiente Montmorentio Connestabili Jacobum Melvilum Nobilem Scotum, ac Connestabilis familiarum in Scotiam ablegabat, ut de Jacobi Stuarti consiliis certam hauriret notitiam: ad id vero Rex incitabatur potissimum eo nomine, quod is, si de sola ageretur Religione, non autem simul de usurpando regno consilia cuderentur, sese ejusmodi tumultibus involvere nollet, cum aliunde ad hæreticos in regno suo reprimendos vires suas impendere cogeretur. Melvilus interim in Scotia appulsus primo cum Administratrice, quæ adhuc Falcolandiæ substiterat, ac postea cum ipso Jacobo Stuarto conferebat, qui coram Oratore profitebatur, quod a Regni invadendi consiliis adeo alienus esset, ut potius ad primum Regiæ suæ Majestatis nutum e Scotia excedere paratus foret. Attamen priusquam Melvilus Parisios reverteretur, Henricus interea fati functus est, unde Protestantes in tam insanam prorumpentiam lætitiæ, ut eorum potissimi sese ad sua reciperent, perinde ac si nil ultra eis timendum esset.